

monumentum repletum erat, neq; quisquam amplius in eo sepeliebatur, & ipse primus Adrianus in ea, quã ipse extruxit, mole, sepultus dicitur, vbi ipsius cineres, & omnium Antoninorum post eum conditi, vt incisæ inscriptiones & Epitaphia illis, hodie ostendunt. IMP. DIVI TRAIANI PARTHICI, FILIO DIVI NERVAE, ADNEPOS TRAIANO, AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. XXII. IMP. II. COSS. III. P. P. ET DIVAE SABINAE IMP. CAES. T. AELIVS ADRIANVS ANTONINVS AVG. PIVS, PONT. MAX. TRIB. POT. II. DESIGN. IIII. COS. II. P. P. PARENTIBVS SVIS. Item, IMP. CAESARI L. AVRELIO VERO AVG. AR- MENI. AC MED. PARTHIC. PONTIF. TRIBVNIT. POT. VIII. IMP. V. C. COS. III. P. P.

Erat olim tota ea moles extrinsecus marmoribus incrustata, variisque columnis ex diuerso marmore, altera super alteram extructa, quarum quaedam ad S. Petri basilicam ornandam translatae sunt, interq; binas columnas statua erat posita. Statuas aliquas, vtpote Antinoi, Adonidis, Persei, pulcherrimas recens inuentas. Eam molem Procopius bello Gothico optimè describit, cum inquit, Adriani quodam Imperatoris sepulcrum, extra portam Aureliam, siue, vt nobis placet, Aeliam, iactu lapidis impositum. Primus eius ambitus quadrigati figuram habet. Constat enim totus ex marmore pario, summa artificum diligentia ædificatus. In medio verò huius quadrati, rotunda moles assurgit, excelsa altitudine, & tanta, vt in suprema eius parte area sit, cuius diameter, vix iactu lapidis transigitur. Quam molem

Bellissarius occupans pro arce & præsidio contra Gothos vsus est. Erant olim in summa parte vndiq; statuæ magnæ hominum, equorum, quadrigarumque, miro artificio elaboratae. Has partim integras milites demoliti, partim confractas in hostes deiecerunt.

Visuntur adhuc in hoc monumento bouum capita, & quaedam alia insculpta.

Aliud